

primum sibi obvium, et rem ei uno verbo aperit. Hic propter temporis angustiam et infamiæ periculum puerum statim absolvit, præcipiendo ut ad sacram Synaxim accedat, postea confessionem ratione integritatis completurus.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An recte processerit SIGISMUNDUS in primo casu?*  
 2<sup>o</sup> *An CLAUDINUS in secundo casu potuerit absolvi et Eucharistiam accipere, imperfecta confessione?*

SOLUTIO :

436. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* SIGISMUNDUS recte processit, nec prudenter alio modo facere potuisset; etenim in tantis rerum angustiis non urget præceptum integritatis confessionis, propter periculum famæ quod incurrisset moribunda. Igitur in eo casu, auditis præcipuis peccatis, mulier absolvi debuit. Deinde Confessario quamprimum ad ægotam redeundum fuit ad majorem confessionis integritatem obtinendam, in quantum, spectatis circumstantiis, id fieri potuit. *S. Lig. n. 484. — Gousset (1).*

437. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Affirm.* Ratio enim eadem est ac in casu præcedenti, scilicet, quia urgebat periculum grave infamiæ excusans hic et nunc a præcepto divino integritatis confessionis. Recte igitur egit Confessarius erga CLAUDINUM. *Ita Gousset, ibid. (2).*

## CASUS VI.

### INTEGRITAS CONFESIONIS 5<sup>o</sup>.

#### *Virago.*

ROSAURA, nobilis matrona, omnibus Confessariis civitatis notissima, cum non auderet cuiquam aperire sua peccata, nec alio facile divertere posset, induta virili veste, sub noctem ingreditur Oratorium in quo soli viri admittuntur, virilique simulata voce, integram et sinceram instituit

(1) « On n'est point obligé de faire une confession entière quand on ne peut la faire sans danger de se diffamer ou de donner du scandale; ce qui aurait lieu si, après avoir porté le Viatique à un malade, le Confesseur venant à découvrir que ses confessions sont nulles depuis plusieurs années, lui faisait faire une confession générale détaillée. Dans ce cas, il suffit que le malade s'accuse des péchés qui lui font plus de peine, et s'excite à la contrition avec le ferme propos d'achever sa confession le plus tôt possible, moralement parlant. » *Gousset, n. 433.*

(2) « Un jour de première communion, quelques moments avant de s'approcher de la sainte Table, un enfant, craignant de communier indignement, demande à se réconcilier : ne pouvant s'adresser à son Confesseur qui dit la Messe, il a recours à un autre Prêtre qui est présent; il s'accuse d'avoir caché, dans les confessions précédentes, un péché mortel, ou du moins qu'il croyait mortel, et le défaut de temps ne lui permet pas de réitérer les confessions. Comme il ne peut s'éloigner de la sainte Table sans incon vénient, et sans se compromettre aux yeux des assistants, le Confesseur pourra l'absoudre, s'il est d'ailleurs disposé à réparer celles de ses confessions qui ont été nulles ou sacrilèges. » *Gousset, n. 432.*

confessionem omnium peccatorum, etiam cum personis sexus diversi commissorum, et absolutionem obtinet.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An confessio ROSAURÆ valida et integra fuerit?*  
 2<sup>o</sup> *Si abortum in se procurasset, an satis fuisset dicere : Abortum procuravi?*

SOLUTIO :

438. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Confessio ROSAURÆ integritate per se non caruit, modo mulier omnes peccatorum species expresserit. Ratio est, quia Confessarius audit et absolvit peccatorem præsentem cujuscumque status, conditionis aut sexus fuerit. Error enim Ministri circa sexum penitentis, est quid mere accidentale quoad confessionem et absolutionem : nam Confessarius non debet iudicium ferre de sexu, sed de peccatis; peccata autem pro diverso sexu speciem non mutant. Hoc etiam valet, si mulier confitendo sub specie viri, peccata cum sexu diverso commissa accusaret, quia iudicium Confessarii essentialiter non mutaretur.

439. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Neg.* Ratio est, quia mater non exprimeret quod proprio fœtui necem intulisset, et proinde speciem gravissimam peccati contra pietatem reticeret. Ergo in eo casu confessio ROSAURÆ integritate careret.

## CASUS VII.

### MENDACIUM IN CONFESIONE 1<sup>o</sup>.

DOROTHEA, pia mulier, licet ut filia Adæ humanam fragilitatem interdum experiatur, a Confessario interrogata utrum ad sacram Mensam de more accesserit, affirmavit, non audens declarare, se ob aliquod animi tædium semel iterumve Communionem præscriptam omisisse. Alias interrogata num peccatum aliquod veniale pluries olim ab ea commissum iterum admiserit, contra veritatem id negavit. Tandem, cum generalem confessionem ex mera devotione instituisset, interrogata de aliquo peccato gravi contra castitatem, negavit se illius ream esse, quia illud in præterita confessione debite declaraverat. Postea timet DOROTHEA, ne propter præfata mendacia, confessionem sacrilegam fecerit.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quale peccatum sit mentiri in confessione?*  
 2<sup>o</sup> *Quid de DOROTHEA iudicandum?*

SOLUTIO :

440. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Per se datur tantum peccatum mortale quando mendacium versatur circa materiam necessariam confessionis sine justa causa celatam, aut materiam gravem suppositam.

Hinc : 1<sup>o</sup> Peccat graviter penitens qui, non legitime excusatus, negat se commisisse aliquod peccatum grave quod scit se patrasse, quia injuriam gravem Sacramento irrogat.

2° Peccat etiam graviter qui, mentiendo in confessione, accusat peccatum grave quod non commisit, v. g. ad jactantiam, ad intrincandum Confessarium, ad curiositatem, ut eliciantur a Confessario explicationes circa res ignotas et periculosas, ad complacentiam in interrogationibus a Confessario faciendis habendam, etc. Ratio est quia gravem injuriam irrogat Sacramento ipsi subjiciendo tanquam materiam certam et necessariam peccata non existentia. Excusantur tamen a peccato gravi ob bonam fidem rudiores, qui putant melius esse *abundare* quam *deficere* in numero dubio peccatorum exponendo. *Ita communiter* cum *S. Lig.* in *Hom. apost. n. 28.*

441. — 2° Mendacium autem circa peccata venialia negata vel falso affirmata in confessione non est *per se* peccatum mortale, quia tale mendacium non est perniciosum, nec graviter Sacramento injuriosum, cum sit in materia levi et non necessaria. *Ita communiter. S. Lig. ibid.* — *Billuart, diss. 7, art. 2, § 5,* contra *plures* qui dicunt quod omne mendacium in confessione sit mortale circa materiam quamcumque confessionis versans.

4° Non est peccatum mortale *per se* negare culpam gravem confessam, quia non est materia necessaria Sacramenti, et responsio negantis, nisi circumstantiæ aliud postulent, intelligenda est ab ultima confessione, vel de peccato non adhuc clavibus subjecto. Excipe, si Confessarius jus habeat de peccato illo interrogandi, ad præsentem directionem, v. g. ad differendam absolutionem, propter relapsum vel consuetudinem, ad injungendam restitutionem vel satisfactionem, aut ad remedia præscribenda, etc. *S. Lig. ibid. Billuart, ibid. et alii communiter.*

5° Mendacium circa res ad confessionem seu conscientiam pœnitentis non pertinentes *per se* non est mortale; quia nec est graviter pœnitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter Sacramento injuriosum, cum ad ipsum non referatur. *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.*

442. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* DOROTHEA non fecit sacrilegam confessionem, non obstante triplici negatione veritatis, nisi forte ex conscientia erronea, nempe si graviter peccare existimasset.

Etenim: 1° Non graviter peccavit mulier affirmando se Eucharistiam suscepisse, et negando se commisisse tale peccatum veniale, quia materia duplicis illius mendacii minime gravis est, ut patet ex dictis: nam mendacia illa non reputarentur mortalia extra confessionem; sed circumstantia confessionis non facit ut gravia evadant, cum ad materiam confessionis necessariam non pertineant.

2° Neque mentita est graviter, imo neque venialiter *per se*, negando se ream esse peccati quod reapse commisit sed quod jam alteri confessum est; quia non habet peccati illius conscientiam: ergo illius rea non est. Imo potest dicere: *Non commisi illud peccatum*, id est, *ita ut confiteri debeam*, quia jam ad materiam confessionis necessariam non amplius pertinet. Hoc tamen intelligendum est, nisi Confessarius in aliquo casu juste interroget ad noscendum statum pœnitentis. *S. Lig. l. 6, n. 496 et 497.* — Sed, si pœnitens non peccavit mortaliter ab ultima confessione Confessarius sufficienter novit statum ejus, neque tunc jus ullum habet de vita præterita interrogandi.

## CASUS VIII.

## MENDACIUM IN CONFESSIONE 2°.

VERONICA, Confessario invito, aliquando alios Confessarios adit, verendiciæ causa, ut incognita incognito confiteatur. Has autem interpositas confessiones Confessario consueto studiose tegit, sive tacendo, sive dicendo se a 15 diebus ad confitendum non venisse, licet pridie ab alio jam absoluta fuerit. Imo, interrogata a Confessario rem suspicante, utrum alio confitendi gratia perrexerit, vel absolutionem receperit, verbis ambiguis primum respondet, sed pressius adacta, negat restrictione scilicet mentali utendo. Novit enim Confessarium mussitare, irasci, increpare, si resciat aliquam suam oviculam alio fuisse peregrinatam.

HINC:

QUÆR. 1° *An VERONICA Confessario mentita fuerit in circumstantiis supra enuntiatis? et an graviter dissimulatione peccaverit.*

2° *Quid sentiendum sit de Confessariis, qui, timentes ne forte pœnitentes alium Sacerdotem adeant, eos quæstionibus intricatis urgent et premunt, ut rem ab ipsis emungant?*

SOLUTIO:

443. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Nego *per se* loquendo; etenim:

1° VERONICA non mentita est dicendo: *a 15 diebus non veni*, vel *ad te non accessi ad confitendum*, quia reapse ad hunc Confessarium non venit. Sensus verborum non determinat necessario audientem ad concludendum, nullam confessionem fuisse interpositam.

2° Neque mentita est negando, se apud alium Confessarium peccata sua deposuisse. Ratio est, quia, cum confessio ex institutione divina sit omnino libera, ratione Confessarii eligendi, jus habet pœnitens Confessarium quemcumque approbatum adeundi. Atqui jure suo privaretur, et libertate careret, si fateri teneretur se alium Confessarium adisse: nam, inquisitione Confessarii ordinarii molestatus, et timore futuræ correptionis vel ejus contristationis edoctus, jam a libertate exercenda moraliter impediretur: ergo pœnitens non tenetur fateri se alium Confessarium adivisse. Ergo interrogationem Confessarii declinare vel dissimulare potest, seu simpliciter negare, utendo restrictione mentali satis obvia in prædictis circumstantiis. Ergo VERONICA de mendacio non est arguenda. Ergo, nedum dissimulatione graviter peccaverit, ab omni peccato excusanda est.

444. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Graviter corripiendi sunt. Corripiendi, inquam, quia jus strictum fidelium in re gravissima violant et libertatem ab ipso Christo pœnitentibus concessam tyrannico modo restringunt, ut eos jugo suo alligatos et concatenatos devinciant. Corripiendi, quia auctores sunt cur fideles libertate conscientie carentes peccata tegant, et utrumque Sacramentum, Pœnitentiæ scilicet et Eucharistiæ, multiplicatis sacrilegiis pol-

luant. Corripiendi, quia hac agendi ratione id efficiunt, ut passim Sacerdotes omnes vituperentur, et de zelotypia et perversa æmulatione arguantur.

Quid igitur est, ô Sacerdos imprudentissime! quod adeo alicui mulierculæ adhæreas, ut, si alio semel divertat, eam velut infidelitatis ream reprehendas? Dic, quæso, undenam tanta tibi debetur fidelitas? numquid sacro fœdere cum devotula fuisti devinctus? Quid times? numquid reformidas ne hæc ovicula tuum ovile deserat? Quid tanti foret mali? minimi sane: nam onere eam dirigendi, et de ea in tremendo Dei iudicio rationem reddendi careres; dum ipsa probabiliter æque pingui et etiam pinguiori pabulo nutriretur. Quod si vir pœnitens aliquando apud alium sarcinam peccatorum deponat, parum ex hoc commoveris; unde discrimen? Numquid anima viri non tam tibi cara est, quam anima mulieris? Adhuc de una re te interrogatum volo: Numquid tu ipse fidelitatem proprio Confessario servasti? nonne quandoque ad alium sine scrupulo divertisti? Quare igitur beneficium quo uteris pro te ipso, pœnitentibus negares? Quid rei respondendum in promptu haberes, si quondam tibi conquerenti et objurganti mulier responderet, sicut novi aliquam reposuisse: Quare tu ipse aliquando Confessarium mutas? Proterva quidem, sed non insana responsio! *Recole dicta supra, de statu clericali, cas. 15, n. 71, et præsertim verba gravissima D. Thomæ ibidem relata.*

## CASUS IX.

## PECCATA DUBIA.

HUBERTUS, vir neque timoratæ neque laxæ conscientiæ, varia peccata dubia in confessione prætermisit, ratus se nulla obligatione ea declarandi obstrictum esse, scilicet: 1° Olim dubitans utrum delectationi morosæ consensum præbuerit, et utrum peccatum talis speciei vel in tali numero patraverit, illud reticuit, hoc principio innixus, nempe: *Nulla datur obligatio, nisi de ea certo constet.*

2° Alia vice etiam peccatum aliquod omisit inter confitendum, quia causæ aderant utrinque dubitandi utrum lethaliter deliquisset, vel venialiter tantum.

3° Alias sciebat quidem et certo se aliquod peccatum patrasse, nec ignorabat illud esse certo grave; sed graviter dubitabat an illud jam in aliis confessionibus accusavisset, necne; hæsit anceps aliquandiu, modo declarationem faciendam, modo in eam omittendam propendens. Tandem illud peccatum prætermittere statuit, ratus se posse hac in re uti sententia probabili sibi favente.

HINC:

QUÆR. 1° *An adsit obligatio confitendi peccata dubie commissa?*

2° *An accusanda sint peccata dubie gravia?*

3° *Quid de peccatis certo commissis et certo gravibus, sed jam probabiliter in confessione declaratis?*

4° *Quid de HUBERTO sentiendum?*

SOLUTIO:

445. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Neg. probabilius*, nisi agatur de dubio mere practico, ex quo scilicet conscientia minime efformari potest, nec omissa fuerit seria diligentia ad dubium discutiendum. Ratio est, quia tunc agitur de lege dubia quæ non obligat. Etenim, ex *Trid.*, accusari debent peccata mortalia quorum habetur conscientia; atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum, siquidem conscientia nihil aliud est quam cordis scientia, seu iudicium practicum de peccato commisso. *S. Lig. n. 473.*

446. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Neg. etiam probabilius, per se*, saltem speculative loquendo, ob easdem rationes ac modo supra. Etenim lex peccata mortalia tantum respicit: ergo, si non constat de peccato mortali, de obligatione legis non constat. Sed supponitur pœnitens qui, in re de qua agitur, ordinarie discernere possit inter peccatum mortale et veniale, quia secus conscientiam suam efformare non posset. *V. Comp. n. 478.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Magis adhuc controvertitur in hoc casu, ac in præcedentibus. Plures Doctores urgent obligationem confessionis, quia, ut aiunt cum *S. Lig.*, quando peccata sunt certa, requiritur etiam confessio certa; non satisfit enim obligationi certæ per adimpletionem dubiam. Attamen sententia libertati favens vere probabilis videtur, quia obligatio confessionis in hoc casu probari nequit. *V. Comp. t. 1, n. 80.*

Cæterum, in praxi, stante dubio, tutior pars semper suadenda est, præsertim ad periculum hallucinationis declinandum. Imo, pœnitentes laxæ conscientiæ ad hanc tutiorem partem sequendam adigendi sunt, quia præsumptio contra eos militat. *V. Comp., a n. 477, ad n. 480.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* Quid igitur de HUBERTO? Rigorose loquendo non videtur inquietandus, quia, cum non sit vir laxæ conscientiæ, atque ex rationibus solidis iudicium suum efformavevit, opinione sua probabili uti potest.

## CASUS X.

## CIRCUMSTANTIE PECCATORUM 1°.

CLEMENS, Sacerdos, docet publice in concionibus, et privatim confessiones excipiendo, nullam prorsus dari obligationem declarandi circumstantias aggravantes; imo, et inutiliter atque nocenter eas declarari: hoc enim, ait, non inservit nisi ad terendum tempus, ad confessiones protrahendas, ac pœnitentes perturbandos; proindeque ab iis accusandis pœnitentes retrahit et prohibet.

MINUTIUS autem, alius Sacerdos, CLEMENTI publice contradicit et docet, e suggestu circumstantias aggravantes esse in omni casu necessario accusandas juxta Concil. *Trid.* et Catechismum Romanum: hinc ipse minutatim pœnitentes interrogat de omnibus circumstantiis etiam ad sextum præceptum pertinentibus; imo cogit omnes pœnitentes a Confessariis oppositæ sententiæ absolutos, ad confessiones iterandas, ob integritatis de-